

dius Niger, quia strenuam rei Venetæ operam navassent, amplissimis muneribus sunt donati. Quinque illæ triremes, quæ media pugna revulsæ fugam fecere, in Venetam unam commeatu onustam inciderunt: qua nullo majore negocio in suam potestatem redacta, cetheam aliam, in qua plerique Veneti nominis, atque iidem patricii erant, intercepere. Multa ad hæc damna Venetis eo cursu illata: sed quia post acceptam cladem nullo se loco tutos putabant, Genuam se mœsti receperunt. Paucis post diebus quidam e numero Gallorum, qui proxima pugna capti in custodia habebantur, tædio, ut fit, loci ira accensus dixisse fertur, sperare se, quandoque fore, ut Veneto sibi sanguine manus ablueret. Dirum barbari omen ad Patres delatum ita omnium aures offendit, ut uno ordine ad geminas columnas suspendio necandum censuerint.

Per id tempus, quo hæc gesta sunt, Novellus Carrarius Paduæ Principatum habebat, quem Venetis juvantibus, aliquot ante annis recuperarat. Is, ut semper ingratuus, oderat Venetos odiis plusquam paternis: die noctuque aliquid moliri, quapropter Venetum sollicitaret imperium: id cogitare sedulo, ad id omnia ipsius consilia spectare. Veneti, etsi jam antea non ignorabant, quo ille esset in se animo, nescio tamen, quonam modo per id tempus omnes illius artes, omnia adversa consilia, alia atque alia via explorarunt: & ex captivis Gallis cognitum est, eum classis illius Ligusticæ nuper victæ, ut ædificaretur, auctorem fuisse: & ex literis in Icrinio Galeacii Viccomitis paulo ante defuncti repertis, multa in lucem venere, quæ in Venetos tyranni inter se molirentur. Accessit ad id recens dolor, quod Galeacio mortuo, Guilielnum Scalam Veneta nobilitate donatum, ac tum Venetiis agentem, ad principatum recuperandum multis hortationibus pellexit: Veronaque jam recepta, hominem familiarissimum consilio & armis antea adjutum veneno sustulit: Antonium vero & Brunorum ejus filios proditione captos, non multo post necandos curavit. Scalanis in hunc modum sublatis, Franciscus imperii signis cum suis media